

de Conciliis tempore Schismatis celebratis, ac de dubiis Pontificibus, (quales tunc erant Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII.) esse intelligenda: qui certe auctoritati Concilii Oecumenici subiciuntur, ut vel hoc pacto Schisma fedari possit. *Ecce, inquit, laudatus Cardinalis de Turrecremata, manifeste patet quod Decretum illorum Patrum non loquitur universaliter de qualibet Synodo, sed de illa singulariter, pro cujus tempore non erat in Ecclesia Pastor totius Ecclesie indubitanus.*

Cui interpretamento non officit, Decretumque de quovis etiam extra Schismatis casum celebrando Concilio intelligendum esse, non probat, quod in quinta Sessione, ubi renovatum est, expresse habetur, *Pontificem obedire debere cuicumque alteri Concilio legitime congregato.* Non inquam officit: quia & hæc ipsa verba aliis subsequenter restringuntur; ut non nisi de aliis Conciliis, occasione alicujus Schismatis celebrandis intelligi queant. Sic enim in quinta Sessione renovatum est. *Item declarat (Sancta Synodus Constantiensis) quod quicumque cuicumque conditionis, status dignitatis, etiam si Papalis, qui mandatis & preceptis hujus Sacre Synodi, & cuicumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea spectantibus factis vel faciendis, obtemperare contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigne poenitentia subiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia recurrendo.* De his ergo Conciliis loquitur Synodus Constantiensis, quæ super præmissis, seu ad ea spectantibus factis vel faciendis fuerint celebranda. Quæ porro præmissa illa sunt, nisi Schisma sopiendum, dubique Pontificis deponendi; quæ vera propriaque causa fuit Constantiensis Synodi celebranda? Id ergo duntaxat sibi voluere Patres, desere quemcumque Pontificem Concilio subesse, parere, obedire, quod sopiendi extinguendique alicujus Schismatis causa fuerit celebrandum; quemadmodum & hæc ipsa Constantiensis Synodus celebrata est. Imo si hujusce Synodi gesta diligentius expendimus, compertimus existimasse Sapientissimos Patres, Pontificem certum & indubitatum, ut extra casum Schismatis esse solet, non esse Concilii auctoritati subiectum. Siquidem in Congregatione habita die 11. Septembris Anno 1417. communi omnium Nationum calculo decisum est, quod *Papa rite, & canonice electus a Concilio ligari non possit, seu legibus ullis adstringi, per vim & coercionem.* Quin etiam una simul cum Martino V. statuit, ut Hussite ad Ecclesiam redeuntes interrogarentur, utrum crederent, quod *Papa canonice electus sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.* Et hæc de Concilio Constantiensis.

V. Ceterum quod attinet ad Concilii Basileensis Decretum, quod perinde nobis obicitur, movere neminem debet. Cum enim Actio 2. ubi primum legitur, non nisi Constantiensis decreti transumptum sit, iidem ferme verbis expressum, quoque sensu exponi potest. Responsum autem Synodale legatis Eugenii datum, in quo Pontifex etiam certus, & extra casum Schismatis, Concilii Oecumenici auctoritati subditus dicitur, ne cassa quidem nuce æstimandum est. Cum Basileensis Convēntus ab Eugenio IV. jam tum dissolutus esset, & in Schismaticum Conciliabulum degenerasset.

VI. Multo minus æquum, & prudentem æstimatorem movere debet Virorum quorundam eruditorum auctoritas, qui post Concilii Constantiensis & Basileensis celebrationem, citata utriusque Decreta, de quibusvis Pontificibus, etiam indubitatis & certis, ac de quovis tempore, etiam

extra casum schismatis, intelligenda existimantur quemadmodum & illa interpretata sunt, acriterque defenderunt ac propugnarunt Academiarum nonnullæ, sententiam hæc in causa, ac judicium doctrinale dicere iussæ: Viennensis scilicet, in Tractatu, quo Electorum Imperii Consultationi respondit, quærentium, an Concilium Basileense plenariam potestatem haberet, quoad suspensionem, & depositionem Eugenii, & alterius Pontificis institutionem; Herfordiensis in Tractatu quem super Unionem & Neutralitate Principum Electorum composuit; Cracoviensis, in Tractatu de Auctoritate Sacrorum Conciliorum, Ecclesiam universalem representantium, ad Wladislaum Poloniæ & Hungariæ Regem &c. Hæc inquam Virorum quorundam Eruditorum auctoritas, æquum æstimatorem movere non debet: cum multo plures ex omni natione, & ordine dignitatis, in contrariam sententiam abierint, & a Romani Pontificis partibus steterint, contra Basileensis Conciliabuli audacia molimina; quibus Eugenium IV. e Pontificia Sede dejicere, alterumque illius loco Felicem V. sufficere, aut plane sacrilego attentarunt. Quæ sane insana molimina, dum calculo suo turbatissimis illis temporibus approbatur citatæ Academicæ; adversus communem Ecclesiæ sensum, (quæ Felicem V. tamquam Antipapam semper est execrata, & Eugenium IV. post attentatam a Basileensibus depositionem, legitimum Pontificem semper habuit) pronuntiasset ac judicasse censendæ sunt; atque ita profus indignæ, quarum data suffragia lataque judicia doctrinalia eo in capite venditentur.

VII. At iniquis forte. Academia Parisiensis, quæ audacia illa Basileensis Conciliabuli in Eugenio IV. molimina nunquam probavit, Decretum tamen Constantiæ & Basileæ primo editum, de quovis tempore, etiam extra casum Schismatis intellexit; Conciliorumque generalium supra Romanos Pontifices præstantiam & eminentiam, tamquam fidei dogma, professæ est. Uti ex Concilio Tridentino, ad suum in Romana Curia Procuratorem Joannem Britonem scripsit Cardinalis a Lotharingia, cum Summo Pontifice communicandum; ut vel hoc pacto zelum ac ardorem apud Pium IV. excusaret, quo viriliter obtulerat in Sessione 23. ne in prægendis Romani Pontificis titulis, *primatum in universam Ecclesiam habere diceretur;* quemadmodum in Concilio Florentino, seu potius in Decreto pro unione Armenorum, dictum fuerat. Ego, scribebat Lotharingus, *negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiae alumnus, in qua Pontificem subesse Concilio tenetur; & qui docent ibi contrarium tamquam heretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus suis partibus generale habetur: Basileense in auctoritate admittitur: Florentinum perinde legitimum & generale non reputatur. Atque idcirco Galli de vita potius quam de sententia decederent.*

Ne tu quoque nimia simplicitate bonus, qui exaggeratis illis Lotharingi verbis illudi tibi tam facile pateris? Certe quamquam negari non possit Academiam Parisiensem, aut certe Doctorum illius partem plurimam, ab avita doctrina, de Romanorum Pontifice, supra Concilia etiam Oecumenica, præstantiam atque auctoritatem, desessisse, jam tum a Concilio Constantiensis & Basileensis temporibus, & in oppositam propendisse magis: falsum tamen est, Theologos illos Parisienses sententiam, quam tunc primum amplexi sunt, uti fidei caput habuisse, a quo quicumque deflecterent, tamquam heretici notarentur. Falsum perinde est, immo falsissimum quod subiungitur, Concilium Florentinum pro legitimo & generali in

in Galliis non haberi. Unde & hanc ipsam Cardinalis Lotharingi hallucinationem nervose confutat, falsisque convincit Natalis Alexander Dissert. 10. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 15. & 16. art. 1. num. 6. quamquam sit iste hæc in parte Romanis Pontificibus parum propitius, quos Concilii Oecumenici subicit. Quare aut ea quæ jactatur Cardinalis a Lotharingia ad Joannem Britonem Procuratorem suum Epistola, supposititia est, ac

plane fictitia; aut de nimio excessu, in exaggeranda amplificandaque Parisiensi Academicæ sententia, convincitur Vir alias omni laude dignissimus. Equis enim auxilium illam, amplificationemque non rideat, Gallos de vita potius, quam de sententia, quæ Romanos Pontifices Conciliis subicit, decessuros? Sed de his plura in sequenti Appendice.

A P P E N D I X H I S T O R I C A.

DE MENTE ECCLESIE GALLICANÆ,

E T

ACADEMIE PARIENSIS,

Circa Romani Pontificis infallibilitatem, ejusdemque supra Concilium Oecumenicum eminentiam auctoritatis, & potestatis.

I.

EA diu multorum animos occupavit opinio, Ecclesiam Gallicanam, & Parisiensem Academiam, haud ita favorabiliter de Romanorum Pontificum infallibilitate, eorumque supra Concilia Oecumenica, eminentiam sentire, quæque omni retro ætate sensisse. Imo non est, qui Gallos sacramento adigi putent, ad eas sententias Apostolicæ Sedi parum propitias propugnandas. Non ita profecto de Ecclesia Religiosissima opinatus est Gregorius IX. cujus hæc discretissima verba sunt, in literis ad Capitula quatuor Ecclesiarum, Remensis, Senonensis, Eboracensis, & Rotomagensis, datis, quas refert Odo Ricus Raynaldus ad annum 1227. num. 59. *Reco-gnoscentis, & sciamur, quod Ecclesia Gallicana, post Apostolicam Sedem, quoddam totius Christianitatis est speculum, & immutatum fidei firmamentum. Utpote que in fervore fidei Christianæ & devotione Sedis Apostolicæ non sequitur alias, sed, cum earum pace dixerimus, antecedit. Cujus devotio verbis exollere superfluum reputamus, cum sit claris operibus manifesta. Quibus paria habet Alexander III. in Epistola ad Ludovicum VII. Regem Christianissimum. Ecclesia Gallicana inter omnes alias Orbis Ecclesias (quæcumque alia provenientibus scandalis in tribulatione nutassent) nunquam a Cathedra unitate recessit, nunquam ab ejus subjectione, & reverentia se subtraxit, sed tamquam devotissima filia, firma semper & stabilis in ejus devotione permansit.*

Et vero si Ecclesiæ florentissimæ, Academicæque omnium principis tabularia scrutari non piget, historiamque a prima ferme origine texere non gravamur, planum fiet, Gallos omni retro ætate, ac nostris ferme temporibus, Romani Pontificis, in judicandis fidei morumque questionibus, infallibilitatem agnovisse, probasse, defendisse; nec nisi ab annis circiter quinquaginta, novos animos, quoad illud doctrinæ caput, solenniter induisse Romanorum vero Pontificum supra Concilia Oecumenica eminentiam auctoritatis & potestatis, ad Concilium usque Constantiense, & Basileense firmiter defendisse: nusquam vero,

II.

Sensa sua de Romanorum Pontificum infallibilitate aperire ac declarare cepit Ecclesia Gallicana anno jam 455. in Concilio nationali Arelate celebrato, Præsidente Ruvenno Arelatensi Antistite congregata. Ibi quippe Romanum Pontificem fidei Symbolum condere posse, ac re ipsa condidisse professæ est, quod fideles omnes cordis tabulis inscribere debeant, data ad Leonem I. Epistola Synodica. *Apostolatus vestri scriptum (Epistolam dubio procul ad Flavianum datam) ita ut Symbolum fidei, quisquis sacramenta religionis non negligit, tabulis cordis inscripsit, & tenaci ad confundendos hereticorum errores ut paratior sit, memoria commendavit.* Porro neminem fidei Symbolum a cunctis excipiendum condere posse, nisi sit in fide infallibilis, & est per se notum, & docet Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 10. art. 10. imò consentiunt Theologi universi.

Galliarum Episcopos eam jam tunc de Romano Pontifice opinionem imbibisse, (quod nempe fidei Symbolum condere possent, ab omnibus fidelibus amplectendum) nemo mirabitur, qui Valentianus III. Imperatoris Novellam Constitutionem legerit, paulo antea editam, occasione Hilarii Arelatensis Episcopi; quæ perenni sanctione decreverat, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum, contra consuetudinem veterem liceret, sine venerabilis Papa Urbis æternæ auctoritate tentare: sed illis omnibusque pro lege esset, quicquid sanxit, vel sanxerit Apostolica Sedis auctoritas. Nec enim religiosus poterant Galliarum Episcopi ea pro lege tenere, quæ venerabilis Papa Romæ sanxisset, quam si ejus in causa fidei definitiones, tamquam fidei Symbolum amplecterentur.

III.

Sæculo sexto ineunte, anno circiter 503. Ecclesia eadem Gallicana, (occasione Symmachi Romani Pontificis, de violata castitate accusati, quem Concilium Romanum, Palmare vulgo dictum, in judicium vocavit, postquam se ipse illius judicio subjecerat) supremam Romani Pontificis in Concilio omnia auctoritatem agnovit; dum eum a Concilio Romano utpote inferiori non potuisse judicari professæ est, sed illius causæ judicium uni Deo reservandum asseruit, in Epi-

Epistola ad Urbis Senatores data, & a S. Avito Viennensi Episcopo, publico omnium Collegarum amanuensi scripta, quæ sic habet. (Quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum, non minus per mandata, quam per litteras oratus, quæcumque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi. . . . Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxii nimis ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum, in lacessito vertice (scilicet Symmacho Romano Pontifice) sentientes. . . . perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis forma Decreti, quam de Papa Symmacho, apud Urbem Italia collecti Antistes ediderunt. Quam Constitutionem licet observabilem numerosi venerandique Concilii reddat assensus; intelligimus tamen Sanctum Symmachum Patrem, si sæculo primum fuerat accusatus, confacerdotum suorum solatium potius, quam iudicium recipere debuisse. Quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter Cæli, staturos nos ante Reges & Principes in quacunque accusatione prædicans; ita non facile datur intelligi qua vel ratione vel lege, ab inferioribus eminentior iudicetur. . . . In Sacerdotibus ceteris potest, si quid forte nutaverit, reformari: at si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare. . . . Reddet rationem qui ovile Dominico præest, qua commissam sibi agnoscitur curam administratione dispenset. Ceterum non est gregis pastorem proprium terrore, sed iudicis.) Hæc Ecclesia Gallicana per Avitum Viennensem. Quibus non absimilia profiteretur alter natione Gallus, quamquam Episcopatu Papiensis, celeberrimus Ennodius, in adornata nomine publico ejusdem Symmachi Romani Pontificis Apologia, qua in quinto Concilio Romano lecta & approbata est. *Alorum hominum, inquit ille, causas Deus voluit per homines iudicari, & terminari; Romane autem Sedis Episcopum suo sine questione reservavit arbitrio. Voluit Deus Beati Petri Successores Cælo tantum debere innocentiam suam, & subtilissimi discussoris indagari involatam exhibere conscientiam.* Romanum itaque Pontificem nulli fuisse Concilio etiam Oecumenico, sed omnibus potestate atque auctoritate eminere censuerunt Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, qui cum a solo Deo, etiam in causa delicti publici, aut certe publice denunciati, iudicari posse docuerunt; & contra Italia Præsules, qui iudicium affectaverant, reclamantur.

I V.

Sed & eadem ætate Gallicanam Ecclesiam Romanam Pontificem agnovisse, tamquam supremum causarum fidei iudicem, ejus sententiam reverenter acceptari essent Episcopi universi, testis est laudatus jam S. Avitus Viennensis Episcopus, Epistola ad Hormisdam R. Pontificem data n. 87. in Sigmundi Collectione. *Quæsumus ergo servitio meo juncto, ut quid filii vestris, fratibus meis, idest Gallicanis, si consulant, responderi debeant, instruat. Quia jam securus, non dicitur de Viennensi, sed de totius Gallie decore pollicetur, omnes vestram super statu fidei capere sententiam. Orate ut sic nos predictorum consilio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regis, veritas comperta non separat.* Eodem illo cadente sæculo, anno scilicet 367. in Concilio Turonensi, ad quod universa ferme Gallicana Ecclesia convenerat, post recitatum Innocentii I. Decretum, quo virgines Deo dicatas matrimonio jungi prohibuerat, ita subjungunt Gal-

licæ Præsules Can. 20. *Qui Sacerdotum contra Decreta talia, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere presumat? Et quorum auctoritas valere poterit predicatio, nisi eorum, quos Sedes Apostolica approbavit? Patres nostri hoc semper custodierunt, quod Romanorum Pontificum definitio auctoritas. Nempe, si bene conjicio, in Majorum suorum laude ponebant jam tunc Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, quod Romanorum Pontificum definitiones, nullo licet accedente Ecclesiæ consensu publicatas, (qualis Innocentii I. de Virginitate definitio fuerat) semper custodissent; nemoque unquam contra hujusmodi Decreta mutare, aut agere presumpserit. Quod illi e contrario plus nimio faciunt, qui Romanos Pontifices errori obnoxios, nisi illorum Decretis Ecclesiæ Universalis consensus accesserit, arbitrantur.*

V.

Anno 800. Concilium Romanum, Caroli magni Francorum Regis jussu, ex Episcopis Gallicanis magna ex parte convocatum, ut Leonis III. Romani Pontificis, variis facinororum hominum criminationibus impetiti causam agnosceret, supremam Romani Pontificis supra omnia Concilia auctoritatem agnovit; dum Imperatori hæc in parte parere recusavit, causamque, de qua agebatur, cognoscere noluit, nisi ille ipse, qui fuerat accusatus, Episcoporum iudicio se sponte permitteret: ea scilicet ratione, quod Romæ Pontifex caput sit omnium Ecclesiarum, & a nemine nisi a Deo valere iudicari. Clamaverunt etenim omnes Episcopi, sicut ut dixi maxima ex parte Gallicani, si qua Anastasio fides est, in vita Leonis III. Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audeamus. Nam ab ipsa omnes nos, & Vicario suo iudicamur; ipsa autem a nemine iudicatur, quemadmodum antiquus nos fuit; sed sicut ipsemet Summus Pontifex consuevit, subeat, & canonice obedimus.

Successit in Ecclesia Gallicana sæculo nono Hincmarus Rhemenis Archiepiscopus, Pontificis in fide infallibilitatis assertor & vindex, Epistola ad Nicolaum I. Romanum Pontificem data. Quam etiam mentem Collegis suis Galliarum Episcopis universis insidere declarat. *Omnes fenes cum junioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in primatu Beati Petri subiectos esse Romano Pontifici. Et ob id salva fide, quæ in Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestra Apostolica auctoritati obediendum. Videns quomodo fidem, in Ecclesia Romana, cui alia subduntur Ecclesiæ, hoc est, in Apostolica Sede, nunquam defuturam portendit Hincmarus; eamque omnium Collegarum suorum, Episcoporum Galliarum mentem esse ac sensum profitentur atque declarat. Et in Opusculo de Divortio Lotharii Regis: De omnibus dubiis vel obscuris, quæ ad recte fidei reuerentiam, vel pietatis dogmata pertinet, Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, Nutrix & Doctrix est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda; maxime ab his, qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia, per jus prædicationem omnes in fide genuit, & catholico lacte nutritis, quos ad vitam præordinavit æternam. Quoties ergo Pontifex obortis de fide dubiis respondet, accedente Ecclesiæ Romanæ ita delineata consensu, infallibilis est: alias cum errante Pontifice erraret simul & Ecclesia, quæ omnium Ecclesiarum Magistra & Doctrix est; utpote Pontificis errori consentiens. Eodem illo sæculo nono, anno scilicet 876. sub Joanne VIII.*

R. R.

R. R. Ecclesiæ Gallicanæ in Concilio Pontigeniensi congregata duos edidit Canones, priorem quidem his verbis expressum: *Statutum ut Sancta Romana Ecclesia, sicut est Caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur: Neque quisquam contra jus & potestatem ipsius, aliquid iniuste agere presumat, sed licet ei debitum tenere vigorem, & pro universali Ecclesiæ profectum exhibere curam. Alterum vero sub hac forma: Ut honor Domino & spirituali Patri nostro Joanni summo Pontifici, & venerabili universali Papa ab omnibus conferretur. Et quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur; & debita illi obedientia in omnibus conferretur. Itane vero generatim & universè quæcumque Romanus Pontifex Apostolica auctoritate decreverit, recipienda sanxissent Præsules Gallicani, si eum quandoque decernendo falli posse existimasset?*

VI.

Sæculo subinde duodecimo inuenta, S. Vvo Carnotensis Episcopus, Sacrorum Canonum peritissimus, Ecclesiæ Gallicanæ ætate sua os ingenitumque, usque adeo Romanos Pontifices, in ferendo de fide iudicio infallibilis censuit, ut non dubitaverit affirmare, Epist. 8. *Sedis Apostolicæ iudicis, & Constitutionibus obviare plane est hæretica prævaricatio unquam incurritura. Quod certe plus nimio sibi licitum facit, qui Romanos Pontifices in ferendis iudicis errori obnoxios arbitrantur: imo ut illorum iudicis & constitutionibus debeant sæpius obviare, ex ipsorum doctrinæ principis sponte sicut.*

Eisdem Romanos Pontifices quibusvis Conciliis Oecumenicis ita superiores existimavit S. Vvo, ut neminem posse dixerit ab eorum iudicis ad tribunal alterum provocare. Inquit enim Epist. 159. *Quoniam iudicis Ecclesiæ Romanæ a nemine ferri retrahari posse, eadem Ecclesiæ Romanæ docere auctorem: si quis aliquando se prægratorum illius Ecclesiæ auctoritate conquestraverit, hoc eis consilium datus, ut non descendant in Ægyptum propter auxillum, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expellente levamen, unde se conquestraverit accipisse gratiam. Hæc est, a Pontifice, ad eundem melius informandum recurrent.*

Unde Epistola 233. in causa Paschalis II. Romani Pontificis, qui privilegium Investiturarum, contra Ecclesiæ iura, Henrico Imperatori concessisse dicebatur, ita ad Angericoensem Abbatem scribebat: *Omnia veranda patris debemus potius velare quam prodere familiaribus, charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur, ut se iudicet, aut factum suum retrahat. Quod si fecerit, reddamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesiæ, quæ graviter languit, dum caput ejus laborat, tanta debilitate molesta. Si autem in hoc languore insanabiliter egrovaverit, non est nostrum iudicare de summo Pontifice.*

Sub idem tempus cum Joannes Archiepiscopus Lugdunensis Galliarum primatem agens, Nationale Concilium apud Aniam celebrandum indixisset, in quo de fide & Investituris, quas Paschalis II. R. P. Henrico V. Imperatori per vim & metum concesserat, ageretur; & ad illud Provincie Senonensis Episcopus invitasset. Ille adesse non fuerunt, dataque Synodali Epistola dissensum excusantur, variis rationibus adductis, quarum tertia hæc erat: quod Romani Pontifices, nisi a fide manifeste detecerint, a mortalium nemine iudicari possint, sed solius Dei iudicio subjaceant. (Non videtur nobis utile ad illa Concilia con-

Serry Tom. V.

venire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel iudicare, quia nec nostrum, nec ullius hominum probatur subiacere iudicio. Unde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus; cum ipse Mediator obedire eis præcipiat, etiam tales sint quales erant Pharisei; si ea que ad Cathedram pertinent recta præcipiant, ea vero minime faciant. Ex quibus omnibus hoc constare videtur, quatenus femoralia Sacerdotalia pudenda superponamus, ne verenda nostra deridenda infidatoribus nateis exponamus; & unde querimus reformare Ecclesiæ fortitudinem, in majorem incurramus debilitatem. Hæc dicentes non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram. Quia & principales Ecclesiæ claves noiumus potestate sua privare; quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat.) Viden quomodo Romanos Pontifices solius Dei iudicio subesse fatentur Episcopi Galli Provincie Senonensis?

In quem profecto sensum scribitur, secutus inde temporibus, alterum Ecclesiæ Gallicanæ lumen clarissimum, in Episcopali quidem ordine minime constitutum, sed Abbatiali, D. Bernardus Clarevallensis, ceteris hoc usque laudatis sanctitate, doctrina, Ecclesiastica discipline studio longe major, Epist. 113. & lib. 2. de consideratione Cap. 2. Pontifices alloquens: *Quis mihi facies iustitiam de vobis? Extrat quidem tribunal Christi, sed abste ut ad illud appellem. Itaque recurro ad eum, cui datum est iudicare de universis, hoc est ad vos: vos appello ad vos, iudicet & me & vos. Nec minori zelo, Romani Pontificis in finitendis fidei controversis infallibilitatem commendabat S. Abbas, cum ad Innocentium II. scriberet, Epist. 190. *Oportet ad vestrum referri Apostolorum pericula quæque, & scandala regni Dei, præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi referentis damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedis dictum est unquam, Ego pro te rogavi ut non descenderis in Ægyptum, forte falli in fide potest, qui fidei defectum sentire non potest?**

Ita ad hæc usque tempora Ecclesiæ Gallicanæ, de R. Pontificis aphanis seu infallibilitate, ejusdemque supra Concilia quæcumque etiam Oecumenica, præstantia auctoritatis & potestatis, sentiebat.

VII.

Porquam vero florentissima studiorum Academia Parisiensis erecta est, in eamdem de bis illis Sedis Apostolicæ prerogative sententiam conspirarunt Theologi Parisienses, & Præsules Gallicani. Unde anno postea 1324. Stephanus Parisiensis Episcopus, solenni decreto edito, de universi Magistrarum Theologica facultatis consilio, ad vindicandam D. Thomæ doctrinam, a malignis quibusdam osoribus impetitam, hoc Apostolicæ Sedi elogium dixit, posuitque monumentum ære perennius: *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium fidelium mater & magistra, in firmissima D. Petri Christi Vicarii petra fundata est. Ad quam velus ad universalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendum, & constatio errorum.* Cui quidem Parisiensis Episcopi, Academiaque decreto mire consonat libellus supplex Clementi VII. Avenionensi sedenti, ab Academia Legato Petro Alliacensi exhibitus, in quo Pontificem his verbis alloquuntur, post oblatam fidei suæ professionem. *Hæc est fides, Beatissime Pater, quam in*

Catho-

Catholica Ecclesia didicimus: in qua si quid minus perite, aut minus caute forte positum est, emendari petimus a te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissima tenemus, & nullatenus dubitamus, quod Sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam, Hieronymo teste fundata est Ecclesia, ut habetur quest. 1. Cap. quoniam vetus. Et sicut dicit Cyprianus 93. dist. Cap. Cathedram, De qua sedo in persona B. Petri Apostoli in ea sedentis dictum est Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Luca 22. Hec est igitur ad quam determinatio fidei, & approbatio fidei, & approbatio veritatis Catholicae, & haeretica impietatis desectio maxime pertinet.

In eadem de Romano Pontifice, lucuosus illis temporibus stetit sententia Theologos Parisienses, ex eo maxime liquet, quod etiam data opera Tractatum Theologicum eiderint, eidemque Clementi VII. Avenione sedenti (quem Gallia tunc uti Pontificem agnoscebat) obtulerint; in quo Romani Pontificis in iudicandis fidei questionibus infallibilitas peculiari Conclusionis quaeritur, rationibusque, Patrumque testimoniis confirmatur. (Prima conclusio est, quod ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali, si suprema, circa ea que sunt fidei, iudicialiter definire. Et hoc probatur: quia ad illius tanquam supremi iudicis auctoritatem pertinet in fide iudicialiter definire, cuius fides nunquam deficit: Sed Sanctae Sedes Apostolica fides nunquam deficit; quia de hac Sancta Sede, in persona Petri in ea praesidentis dictum est Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua, Luca 22. Propter quod dicit Cyprianus, Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se non esse demonstrat. Et Hieronymus dicit, Super eam fundata est Ecclesia; & quicumque cum Pontifice Romae non colligit, disperdit.) Extat etiam hodie Tractatus ille MS. in Bibliotheca Collegii Navarrii: legiturque in perisque Editionibus, ad calcem Magistri sententiarum, titulo Commentarii adversus errores fratris Joannis de Montefano. Ex quo miror Joannem Launoium, Pontificis indelicentiae inconsultum impugnatores, miseram laciniam excerpisse, ut Pontificem errare in fide posse, incautis lectoribus persuaderent. Cum ex toto Tractatus huius contextu planum sit, de errore Pontificis personali, Doctorumque privati id dici, non de iudicio solenni, & ex Cathedra pronunciatum.

Ludicrum vero est quod nonnulli reponunt, de tam disertis testimoniis vim eludendam: Academiam scilicet Parisiensem Apostolica duntaxat Sedes infallibilitatem agnoscere laudato Tractatu: non infallibilitatem Pontificis in ea sedentis. Quasi vero vel ipsi caeci non videant, figuratam illam esse locutionem, qua sedes pro sedente accipitur? Quamquam vel ex hoc solo, quod Apostolica Sedes infallibilis est, consequens sit infallibilem quoque esse Pontificem, quoties cum consensu Sedis infallibilis Apostolicae sententiam profert. Quod profecto facit quoties ex Cathedra, seu ex Sede ac tribunali pronunciat. Uti Cap. 1. prioris Dissertationis explicatum est.

V I I I.

Sed & hoc ipso saeculo quarto decimo, tanta ea sententia, de Romani Pontificis ex Cathedra loquentis infallibilitate, radices in Galliis egerat, ut non Ecclesiasticus & Academicus tantum Ordo, sed & Politicus, ea perinde esset im-

butus. (a) Dum enim Bonifacii VIII. memoriam a Clemente V. damari postularunt Regni Nobiles anno 1305. ob iniurias toti Regno ab eo illatas; (quod tamen obtinere non poterunt,) eam maxime rationem obtulerunt dato libello, quod haereticus fuisset Bonifacius, atque ita Papa verus esse non posset: Non queritur de haeresi Pape quondam, ut Papa, sed ut private persone. Nec enim ut Papa potuit esse haereticus, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, haereticus fuit. Sed & aliud addebant Regni Proceres dato libello, quo Romanum Pontificem verum ac certum, Concilio generali auctoritate atque iurisdictione superiorem probabant; ut Clementem ad causam Bonifacii per se se ac sine Concilio iudicandum inducerent. Cum de Bonifacii morum haeresi queritur, non debet congruere Concilium generale. Estis enim vos, Pater Sanctissimo, Jeshu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesia representans, qui claves Regni Caeli habetis. Nec congregatum totum generale Concilium, sine vobis, & nisi per vos posse cognoscere de negotio supra dicto, juxta Patrum sancta, sententiamque Doctorum juris, & Ecclesia Sancta Dei. Pontificem, ergo generali Concilio auctoritate & potestate superiorem agnoscebat tunc temporis Ordo Nobilium in toto Galliarum regno; adeo ut Concilio generali non esset opus, ad Bonifacii memoriam, ut optabant, infamandam atque damnandam.

Eadem doctrina, de Romani Pontificis infallibilitate, eisdemque supra Concilia Oecumenica praestantia auctoritatis & potestatis, alumnos suos imbuisse Academiam Parisiensem, eodem illo veritate saeculo decimo quarto, liquet apertius ex facto Clementis VI. superius memorato Cap. V. prioris Dissertationis. Cum enim Gallus ipse esset, in Academia Parisiensis educatus, Doctorisque Lauream in eadem adeptus, imo etiam Doctorum Parisiensium consiliis in obeundo Pontificatu maxime usus, cum Avenione federet; dum anno 1351. datus ad Armenorum Patriarcham, ceterisque Armenia Praefules efficacissimis Epistolis, pleniorum ab eis Romani primatus professionem exegit, ut Ecclesiae Romanae integre confociari possent; duos illis Articulos subseribendos proposuit, qui R. R. Pontificum infallibilitatem, integramque illorum supra Concilia Oecumenica potestatem & auctoritatem spirant. Ut laudatum Caput quintum legenti perspicuum est.

Ecclesiam Gallicanam in eadem perennasse sententia, de Romani Pontificis supra Concilium Oecumenicum auctoritate ac potestate, ad saeculum usque decimum quintum; hoc est, ad Concilium usque Constantiense, & Basileense, inde quoque certissime constat, quod in Sessione 23. Concilii Tridentini, dum Cardinalis Carolus a Lotharingia, alique Praefules Gallicani viriliter obstituerunt, ne in praesentis Romani Pontificis titulis, aliquid poneretur, quod Ecclesiae Gallicanae doctrinae, quae Romanum Pontificem Concilio subijcit, adversaretur: non altius suae huius doctrinae exordia petebant atque iactabant, quam a Concilio Constantiensi & Basileensi erate: altius profecto petiturum, nisi ante id temporis in contraria sententia versata fuisset Ecclesia Gallicana; ut vel sic majorem illi auctoritatem conciliarent.

Constat hoc idem multo certius, ex ingenua Confessione Joannis Majoris, & Joannis Gersonii; qui primi omnium novae huius amplectendae sententiae tuatores, & impulsores fuisse dicuntur. Sic enim Joannes Gersonius lib. de potestate Ecclesiae.

clesiastica scribit consideratione 2. Ante celebrationem Sacrosanctae huius Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum, litterarum magis quam litterarum ista sententia, de Romano Pontifice Concilio superiori, ut oppositorum dogmatizator fuisset de haeretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Joannes Major lib. de potestate Ecclesiastica cap. 3. Duo sunt modi oppositi dicendi, quorum unus tenet Papam esse supra Concilium universale. Hunc modum tenuerunt aliqui Cardinalium, & tenent communiter Thomistae, & Romae, ut asseritur, nulli fas est oppositum tenere. Alium modum semper nostra Universitas Parisina a diebus Concilii Constantiensis imitata est.

I X.

Idem vestigiis insitens Clerus Gallicanus, Meloduni anno 1579. comitia generalia de more celebrans; in eadem de Romani Pontificis infallibilitate sententiam venit; ubi faciendam fidei professionem, adversus enatos tunc Lutherianorum, & Calvinianorum errores edixit, atque mandavit. Clerici & Laici, sic enim Acta ferunt, aperta professione eam fidem pronuncians, quam Sancta Romana Ecclesia, Magistra, columna, & firmamentum veritatis profertur & colit. Ad hanc enim propter suam principalitatem, necessum est omnem convenire Ecclesiam. Et in fine articulo eum in conventu statutorum: Omnia haec Sanctae Romanae Ecclesiae, cujus ex praecipuis populis fidelem instituit, & certam fidei ac morum correctionis regulam constituit oportet, iudicio & auctoritati subijcimus. Nec est quod reponat morosus aliquis censor & cavillator, Clerum Gallicanum de Romana Ecclesia loqui, ut est toto Orbe diffusa, (cui certe infallibilitas in fide negari non potest,) non ut est intra Urbis ambitum constituta, Pontificique Sedes specialiter dicitur, de cujus tantum infallibilitate movetur dubium. De Ecclesia siquidem Romana loquitur Clerus, quae principalitatem supra ceteras tenet, & ad quam nullo est omnem Ecclesiam convenire: Hoc autem titulo illa tantum designatur, quae muris Urbis includitur, non quae toto orbe diffunditur: cum totus Orbis toti praesertim dici non possit, nec totus Orbis ad totum Orbem convenire.

X.

Pari zelo studioque in eadem de Romani Pontificis infallibilitate sententiam concessere Clerus Gallicanus, & Academia Parisiensis, initio saeculi superioris in causa Edmundi Richerii Theologicae facultatis Syndici. Cum enim Librum ille edidisset de Ecclesiastica potestate, in quo Romani Pontificis, in ferendis de fide iudiciis, infallibilitatem atque jura acriter impugnabat; non modo ab ipsa Academia Parisiensis, & a Concilio Galliae provincialibus, Aquisnensi nimirum, & Senonensi anno 1612. damnatus est; verum etiam palinodiam recantare compulsus est: quam ipsemet Cardinali Richelleo, Regni tunc admistrato, instar solennis declarationis obtulit die 7. Decembris anni 1629. in qua inter alia sic habebat: Protestor & declaro me semper voluisse ac etiamnum velle, & me ipsum, & meum libellum, & quasumque ejus propositiones, omnemque doctrinam meam Ecclesiae Catholicae, Romanae & Sanctae Sedis Apostolicae iudicio subijcere: quam matrem, & magistram Ecclesiarum, & infallibilem veritatis iudicem agnosco. Qua in re meo quidem iudicio nugantur inepte, qui postrema illa Richeriana Declarationis verba, quam matrem & magistram Ecclesiarum, & infallibilem veritatis iudicem Serry Tom. V.

com agnosco, ad Ecclesiam Catholicam referri volunt; quam unam infallibilem veritatis iudicem Richerius agnovit; non ad Sedem Apostolicam, cui titulus ille nullo medio junctus est. Equis enim infirmae grammaticae Magistellus epitheton alio referri patiarur, quam cui proximè junctum est? Aut quis forte Theologus, Ecclesiam Catholicam, hoc est universalem, Ecclesiarum omnium matrem atque magistram congrue dixerit? Sic enim sui ipsius mater esset atque magistra; cum non sit aliud universale Ecclesia, quam omnes Ecclesiae simul sumptae; uti profecto nihil differretur a suis partibus simul sumptis. Praterquam quod non ideo censuram subierat Richerius, quod Ecclesiae universalis infallibilitatem esset inficiatus, ut eam tandem agnosceret solenni declaratione teneretur. Ad Sedem igitur Apostolicam postrema periodi verba necessario referuntur, quam idcirco infallibilem veritatis iudicem agnoscere iussit me libere ac voluntario dedisse, ut mea erga Sanctam Sedem Apostolicam obedientia cunctis pareat. Quibus profecto verbis significavit, infallibilem illam, quam tandem agnovit magistram & iudicem veritatis, cui se suumque librum ex obedientia subiecit, ipsam esse Apostolicam Sedem.

Ut autem in iis turbibus, quos malentus Richerii liber in Galliis excitaverat, publico aliquo documento significaretur Academia, quis sibi in Romano Pontificem, ejuisque in ferendis iudiciis supremam auctoritatem esset animus; & quam prona a suis alumnis obedientia Decreta Pontificia vellent excipere; die 1. Decembris 1629. solenni Decreto sanxit, ut quotquot deinceps Theologiae publicas defenserint essent, sequens Litterario certamini juramentum elata voce praemitterent: Juro atque protestor, me nec didicisse, nec scripturum quicquam, quod adversetur Sacrae Scripturae, Concilio Oecumenico, Decretis Summorum Pontificum, & statutis aliae facultatis Parisiensis matris meae; quibus adhaereo, & me firmiter adhaesurum polliceor. Quae quidem Juramenti forma etiam hodie ita religiose servatur ac reverenter; ut cum non ita pridem Baccalareus aliquis verbum illi de suo imprudenter addidisset; seque nihil didicisse aut scripturum jurasset, quod adversaretur Decretis Romanorum Pontificum, communi Ecclesiae consensu receptis: gravem ab Academia animadversionem subierit, poenaeque auctoria dederit. Ob id certe, quod eo addito glossate significasset, in ea duntaxat Pontificum Decreta jurare se velle, quibus universalis Ecclesiae consensus accederet: quod est ab Academia mente alienum.

Clerus etiam Gallicanus, tot inter Ecclesiae & Academiae turbines, solita Parisiis Comitia celebrans anno 1626. ut suos in officio, debitaque in Summum Pontificem reverentia contineret, suamque de eisdem suprema potestate, & continuata in Petri successores infallibilitate sententiam fidei animis inferret, encyclicas ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos literas dedit, quibus inter alia ferebatur: Les Evagues sont exhortés à honorer la Saint Siège Apostolique & l'Eglise Romaine, fondée dans la promesse infallible de Jesus Christ, dans le sang des Apôtres, & des Martyrs, la mere des Eglises, qui ne sont que ses membres, se relevent, maintiennent, & conservent. Respecteront aussi nostre S. Pere le Pape, Chef de l'Eglise universelle, Vicaire de Dieu en terre, Evague des Evagues, & Patriarches, en un mot Successeur de S. Pierre, auquel l'Apostolat, & l'Episcopat ont eu commencement, & sur le quel Jesus Christ a fondé son Eglise, en lui baillant les Clefs du Ciel, avec l'infalibilité de la foy, & non l'on

(a) In Historia dissidii inter Bonifacium VIII., & Philippum pulchrum p. 399.

On a vu miraculeusement durer immuable dans ses Successeurs jusque à aujourd'hui, & qui ayant obligé les fideles Orthodoxes à leur rendre tantôt sorte d'obéissance, & de vivre en déférence à leurs Saints décrets, & ordonnances. Les Evêques sont exhortés de faire continuer la même chose, & de réprimer tous qu'il leur sera possible les esprits libertins, qui veulent révoquer en doute, & mettre en compromis cette Sainte, & sacrée autorité, confirmée par tant de loix divines, & humaines: & pour montrer le chemin aux autres, ils y descendront les premiers.

X I.

IN eadem stetit sententia florētissimam Academicam anno 1663. patet ex facto damnationis M. Gabrielis Dronet de Villanova Baccalaurei, ab Augustissimo Senatu Parisiensi lata die 22. Januarii. Cum enim hanc ejus propositionem publicis Theſibus propugnatam, solenni Decreto damnasset Senatus Augustus, Concilia generalia, ad extirpandas hæreses & schismata, & alia tollenda incommoda, admodum sunt utilia, non tamen absolute necessaria: (quam ille propositionem non alio sensu propugnaverit, quam quod extaret alterum in Ecclesia Tribunal existimaret, quo possent etiam infallibiliter hæreses extirpari: cumque editum illud suum Academiae tabulis inscribi jussisset: renuit Academia, celebratæque comitiis (censuræ adeundum esse Augustissimum Senatui Principem, per Sapientissimos Magistrōs N.N. qui cum debita reverentia peterent ab Augustissimo Senatu Principe, ut velit, & dignetur exponere mentem suam non fuisse, sibi adscribere iudicium Doctrinale, in materia fidei, & Ecclesiæ dogmatibus, vel lacerare jura Theologicæ facultatis; & innuere necessarium esse absolute Concilium generale, ad extirpanda quælibet schismata, & quælibet hæreses: Cum constet Pelagianam & Jansenianam hæreses fuisse sufficienter extinctas absque Concilio generali; quod tantum in aliquibus casibus potest dici absolute necessarium.) Ita in Actis Academiae. Censuit igitur Academia Parisiensis, extare in Ecclesia Tribunal aliquod, damnandis extirpandisque hæresibus & schismatibus sufficientissimum, absque ope Concilii generalis. Illud porro quodnam esse potest, nisi Tribunal Romani Pontificis? Ex quo vero damnandis extirpandisque hæresibus sufficientissimum est; indeficiens & infallibile debet esse; cura fidei falsum subesse omnino non possit.

Sed & superiori triennio eandem de Romani Pontificis infallibilitate sententiam semel iterumque in variis Academiae Scholis, publicis Theſibus defenditam testatur Vir omni exceptione major, restitque oculatus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, Opusculo animadversionum ad Claromontanas Jesuitarum Theſes. Hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam, in ipsa Sorbona doceri videmus. Nam die 12. Mensis Decembris anno 1660. in Sorbona publice hæc Theſis defensa est, videlicet Romanus Pontifex conservatorum Ecclesiasticarum indeficientem fidem promittit. Eandem Theſim in Collegio Navarrico die 7. Decembris propugnatam scimus. Excerptum hoc refert Cælestinus Cardinalis Sfondratus, differt. 4. Gallia vindicata. Opusculum enim Petri de Marca nusquam vidi.

X I I.

CLerus etiam Gallicanus ante id temporis, quam haberet de Romanorum Pontificum infallibilitate sententiam, multo disertius declaravit, coram Innocentio X. in urgenda promovendaque hæreses Jansenianæ damnatione. Episcopi quippe octoginta quinque in Comitii congressu, Litteras Innocentio dedere anno 1655. observantia suæ testes, quibus iudicium Apostolicum de quinque Jansenii propositionibus humillime postulabant, ex maxime titulo, quod Majoris causa, ut aiebat, ad Sedem Apostolicam referre, solennis Ecclesiæ mos esset, in qua fides Petri nunquam deficientis perpetuo conservatur. Anno autem subinde tertio, die scilicet 15. Julii alias submittere, ut summas ei gratias pro lata in Jansenium damnatione referrent, in quibus suam de iudicii Pontificii infallibilitate mentem atque sententiam verbis amplissimis testabantur. Prospectum habemus, inquiebant; non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, iudicia præfata, super Episcoporum consultatione, divina æque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate, nisi, cui Christiani omnes ex officio jus quoque mentis obsequium præstare tenentur; seu suam Episcopi in consultatione sententiam ponant, seu non ponant. Hoc est, seu consultantium Episcoporum consensus accedat, seu non accedat.

X I I I.

JAm si tot illis & Cleri & Academiae publicis documentis, privatorum Episcoporum Doctorumque testimonia velim adungere, res ipsa tota, quam versamus, in propositu erit. Quotquot enim Parisiensis Academiae Magistri atque Doctores, majori doctrinæ pietatisque laude floruerunt primis Academiae temporibus, ut B. Albertus Magnus, Alexander Alesius, D. Thomas, D. Bonaventura, Nicolaus de Lira, Joannes Cellaja, Joannes Puteanus, alique quos commemorare longum esset, Romanorum Pontificum Alphamiam seu infallibilitatem peritissimè docuerunt; ut plane de illorum mente atque sententia dubium subit omnino nullum. Quotquot etiam initio seculi superioris, adversus Lutheranos & Calvinianos in Galliis scripsere, de Ecclesia Romanoque Pontifice, non modo doctrinæ caput de infallibilitate Romanorum Pontificum venter ac docent, verum etiam Communem Catholicorum Sententiam esse ajunt, probantque pro viribus; (est fidei dogma non esse concedant.) Ut D. Stephanus Baraut Archiepiscopus Arelatensis in Clypeo fidei Catholice Cap. 3. contra Molinam, D. Joannes Cœstetius Episcopus Massiliensis, in Responsione ad Mysterium iniquitatis Plessæi Mornæ; D. Habertius Episcopus Vabrensis, in defensione fidei Catholice; D. Hallerius Episcopus Cabilonenſis, in dictatis de Summo Pontifice, dum in Sorbona publicum Theologiz Professore ageret; De le Maire Episcopus Lombariensis, in Tractatu de Pontifice, dum in Sorbona perinde legeret; D. Michael Maulclercius libro de Monarchia; D. Andreas Durandus, Regius in Sorbona Professor, in Libris contra Edemundum Richerium publicatis, probante ac etiam plaudente Academia Parisiensi, totoque Clero Gallicano. Eandem Pontificis infallibilitatem defendit obiter Gabriel Abalspinus Aurelianensis Episcopus, vir totius antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus, in suis ad Tertullianum librum de pudicitia Observationibus. Quin etiam summus ille

X V.

Sacerdotii, & imperii conciliator, cui diu parem Galliae Clerus expectabit, Petrus de Marca Episcopus Parisiensis tractatum singularem de hac ipsa Pontificis infallibilitate sub vitæ finem elucubravit: si qua Stephano Balusio illius vitæ Scriptori, & amanuensi fides est. Composuit illa tempestate (anno scilicet 1661. Mense Novembri) Gallica lingua dissertationem de infallibilitate Papæ quam ego ab ore dictantis excepi. Hæc fuit postrema lucubrationum ejus. Sic ille §. 2. Vitæ Præfulis omni laude dignissimi; qui & multo ante apologiam pro Honorio I. adornaverat, ut eum a Monothelitarum hæresi liberaret.

X I V.

ALlos ab ea Majorum suorum Doctrina de R. Pontificis infallibilitate, paulo postea destitisse nonnulli putant; tum quod anno 1663. Declarationem super quibusdam doctrinæ capitibus obulerint Theologi Parisienses Regi Christianissimo, in cuius articulo 3. declarant, non esse doctrinam nec dogma facultatis Theologicæ, Summum Pontificem, nullo accedente Ecclesiæ consensu, esse infallibilem. Tum quod anno subinde 1665. die 3. Februarii Censuram distinxerint, in Amadei Guimenii de Romani Pontificis infallibilitate doctrinam; quam falsam & temerariam, & Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus, Theologicis facultatibus, & Orthodoxis Doctrinis contumeliosam pronunciant. Non est tamen cur ita temere de Theologis Parisiensibus suspicemur, abavita illos doctrina tunc temporis abcessisse. In restum quippe sensum Declaratio Regi tunc exhibita secti potest: ut videlicet eam duntaxat quorundam exoticorum Doctorem sententiam rejiceret, quæ omnem profusam tam universalem Ecclesiæ toto Orbe diffusæ, quam Romanæ intra muros Urbis constitutæ, consensum inutilem dicit; non eam tamen quæ Romanæ saltem Ecclesiæ, seu Romani Cleri ad Consultationem solennitatem adhibiti consensum, necessarium profiteretur, ut Romani Pontificis iudicium ex Cathedra Romana profectum, atque ita infallibile censetur. Quæ constans atque perennis Parisiensium Theologorum sententia huc usque fuit. Quamquam & illud addi potest, Academicam Parisiensem declarationem fecisse suam, verbis mere negantibus: Non est doctrina. . . . non est dogma, &c. ut scilicet Romanorum Pontificum indeficientiam, juratum sacramentumque Academiae dogma non esse significaret, quod ex professo & lata lege sui tenerentur alumni; sed plane liberum, a quo abscedere integrum illis esset.

Quod autem ad censuram attinet in Amadeum Guimenium ab Academia districam, miror eam ad causam quam hic agimus detorqueri. Cum confixa ab Academia larvati scriptoris propositiones, Pontificis infallibilitatem tamquam fidei caput assererent, quod oppugnare absque aperta hæresi nemo posset. Pag. 60. n. 2. De fide est, eiebat ille, non posse Pontificem errare, ita ut approbet tanquam consentaneum Evangelicæ perfectioni, quod consentaneum non sit. Et infra pag. 61. numero eodem, tam certa est conclusio, ut oppositum non dubitem esse hæreticum. Ecce quæ exorbitantem & excedentem in figenda sententia Theologalium non damnari Theologicus ordo, Pontificiæ adhuc infallibilitatis assertor, moderatus tamen & prudens? Est etenim modus in rebus, certique sunt fines, quos ultra citraque nequit consistere verum. Merito ergo damnatus est Amadeus ab Academia, quamquam ipsa Pontificiam infallibilitatem adhuc agnosceret; quia eam uti fidei dogma non agnoscebat, ut ille ignoranter affirmabat & contendeat.

ANno tantum 1682. novos de Romanorum Pontificum infallibilitate sensus induit Clerus Gallicanus, & ab avita suorum doctrina deflexit; dum solemnem de Ecclesiastica potestate Declarationem, in comitiis generalibus edidit: in cuius articulo 4. statuerunt: In fidei questionibus præcipuus quidem Summi Pontificis esse paries, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere; non tamen irreformabile esse iudicium ejus, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. En primam antiquæ doctrinæ de Romanorum Pontificum infallibilitate desertionem, publico Cleri nomine solenniter factam: En veram certamque mutata solenniter hoc in capite sententiæ epocham. Quod autem ad alterum doctrinæ caput attinet de Romani Pontificis supra Concilium Oecumenicum eminentia; inducunt in Galliis mutationem non iustior, a temporibus Concilii Constantiensis & Basileensis: ita tamen ut dogma tunc recens inductum, de Romano Pontifice Concilii Oecumenicis etiam extra tempus Schismatis subdito, non esset ex tunc generatim acceptum, ac veluti consecratum in Galliis, sed opinione liberum, & unicujusque arbitrio relictum, tam in Clero, quam in Academia Parisiensi. Quod vel ex uno, ut alios sileam longe multos, Annalium Ecclesiasticorum Baronii Continuatore, Henrico Spondano Apamiarum Episcopo compertum est. Qui initio elapsi proxime seculi, oppositum expresse defendit: Decretum scilicet Sess. 4. Concilii Constantiensis, accipiendum esse de tempore Schismatis, cum dubitatur, quis sit verus Pontifex: (ad annum 1415. n. 16.) Quis enim ita scripturam Galliarum Episcopum putet, anno 1630. si Ecclesia tuæ Gallicana adoptatam diu ante sententiam, generatim & univèrsè amplexa esset, adeo ut oppositam alumni suis non reliquisset opinionem liberam? Illud etiam certum indubitatumque illos ipsos Scriptores Gallos, qui majori zelo studioque, Romanos Pontifices Concilii Oecumenicis subditos scribere supererunt, ultra citroque fateri, questionem apud suos positam esse, atque ita in Gallorum etiam arbitrio relictam. Tantum abest ut ad eam propugnandam ex præstito juramento teneantur, uti nonnulli aliarum Nationum loquaculi nugivendi debaterant imprudenter. Quin & ipse Natalis Alexander, qui Concilium Oecumenicum Romano Pontifici superius constantissime docet, etiam post editam Cleri Gallicani Declarationem, ita demum sincere pronunciat: Questio illa in opinionibus posita est: ad fidem non pertinet, qua Christiani Catholici sumus, nec ad mores hinc inde meliores. Sæculo 4. Historiæ Ecclesiasticæ diff. 28. Scholio 6. pag. mihi 359.

X V I.

ETERum quam habuerint Præfules Gallicani edendæ Declarationis suæ rationem anno 1682. ex ipso ejusdem prologo intelligi volunt: Ne scilicet, inquiunt illi, Ecclesiæ Gallicanæ libertates a Majoribus suis tanto studio propugnatas, earumque fundamenta, ab amulis divi sinerent. At veror maxime ut minus rationem illam intelligant, imo potius honestam excusationem ad minuendam invidiam studiose quaerant dicant, quotquot summum illud Ecclesiæ Gallicanæ lumen, Petrum de Marca, Parisiensem Archiepiscopum, libertatumque earumdem defensorum acerrimum legerint, lib. 3. de Concordia Sacerdotii & Imperii Cap. 7. ubi tam aperte tam discrete testatur, nihil Ecclesiæ Gallicanæ libertates cum ea doctrina

na Romanis odiosa habere commune; nihil illas ab ista pendere, ut defendi a Gallis Praesulibus possint. *Libertates perinde tuemur, si de Concilio generalis novis Decretis, ac si de Romani Pontificis Constitutionibus agatur. . . . Non est cur haec in ea regula, qua Romanis stomachum movet, & qua rebus nostris non prospicit, ut par est. Pruarur Summus Pontifex aut aequo jure cum Concilio generalibus, aut etiam superioribus: Illud unum in foro expendatur, an nova constitutio vel novum rescriptum rebus Gallicanis prospiciat, aut nocent.*

Sed quaevis Gallicanos illos Episcopos seu ratio, seu simulatio moverit, ut suam illam doctrinam Declarationem iis in Comitibus evulgarent; non ideo tamen Academia Parisiensis ea occasione ab avita quam tenuerat haec doctrina, dato veluti sacramento deflexit. Pessimum etenim omnibus est, eam in iis condendis doctrinae articulis, partem habuisse nullam; & in acceptanda Cleri Declaratione, dum ad ipsam Regis Christianissimi jussu transmissa est, vim non modicam passam esse. Cum enim Senatus Princeps Regique Cognitores, ad Academiae Comitibus se contulissent, sanctos doctrinae Articulos, a Doctoribus recipi, & in publicas Academiae tabulas referri curarent; tam acres inter Doctores excitationes fuerunt turbas, diffidia tanta, ut re infecta Senatus Princeps abcesserit. Tum post dies aliquot, non expectata Magistrorum deliberatione, nulloque illorum assensu quasto, in supremam Senatus Curiam advocatus est publicus Academiae Notarius & Scriba, die 16. Junii, missisque quibusque formulis, Cleri Gallicani Declarationem, Academiae tabulis inscribere jussus est. Quae cum ita sint gesta, quis quae memoratos articulos de possessione Ecclesiastica, ab Academiae Magistris probatos receptosque dicat? Quod vero postea Baccalarei, qui studium licentiae decurrant, illos ipsos articulos, per aliquot annos, Thesis suis inscripserint, ac etiam propugnarint, ut possent ad Magisterii gradum promoveri; non Academiae statum aut jussu, sed debitum Regi Christianissimo obsequium fecit; qui ita, supplicante Clero, solenni Edicto mandaverat Menle Martio.

XVII.

SED quis tandem edita Declarationis exitus fuit, quae statutorum in ea articulorum for-

tuna? Egre dico, dico tamen, quia dissimulari non potest, Penituit non multo post Cleri Praesules suscepti consilii sui, veniamque a Summo Pontifice rogare coacti sunt. Cum enim eorum qui Comitibus illis ex utroque Ordine Ecclesiastico interfuerant circiter quadraginta, ad Sedes Episcopales, seu novas, seu auctiores, ex Regis Christianissimi nominatione designati fuissent; ut desideratum Diploma Pontificum ab Innocentio XII. obtinerent, supplices ei anno 1692. dederunt litteras; quibus praemissa pro suscepto recens Pontificatu gratulatoria salutatione, dolere se ex corde profitebantur, ac ultra quam dici potest, quod in Comitibus suis anni 1682. nonnulla statuta fuissent, quae Sanctitati suae displicerant; De qua quidem excusationis formula, Romae inter summi Pontificis, & Regis Christianissimi administratos conventum erat; Eminentissimos scilicet Principes, Franciscum Albani, & Baldinum Panciatici, Pontificis nomine, & Casarem Destrees, necnon Tuscanum Janson de Forbin, nomine Regis. Ac tum postea accepta ab optimo Pontifice excusatione illa episcopali, ex Ludovici Magni indulgentia, latum pridem edictum, quo statutorum Articulorum defensionem in omnibus Regni Academiae imperaverat, effectum caruit; suoque Baccalarei quique arbitrio permitti sunt.

Quemcumque tamen habuerit exitum ea Cleri Gallicani periclitatio, ineptum sane fuerit, doctrinae Declarationem Comitibus illis generalibus factam, Ecclesiae Gallicanae universae definitionem vocitare, Nec enim universam Galliarum Ecclesiam, satis, ad ferendam de Ecclesiastica Conciliorum atque Pontificum potestate sententiam, representabat Coetus ille; ad quem non accesserant Episcopi numero longe plures, imo nec advocati fuere, qui suffragii jure potiri, in tanti momenti causa debuissent. Nec qui ad eum ex variis Regni Provinciarum Praesules a suis Comprovincialibus missi sunt, ullam de quacumque doctrina judicandi, pronuntiandi, definiendi praescriptam auctoritatem a suis Collegis acceperant. Ridendique illi sunt, qui Comitibus illa, superbo Concilii Nationalis titulo cohonestarunt, ut majorem illis conciliarent sancienti, definiendique auctoritatem.

INDEX
MATERIARUM.

Academia. Academia Parisiensis Tractatum Theologicum edit, exhibitque Clementi VII. quo Romani Pontificis, in ferendo de fide judicio, infallibilitatem propugnat ac probat. pag. 57
Eadem ab alumnis suis juramentum exigit, quo protestantur, nihil se dicturos aut scripturos, quod Decretis Summorum Pontificum adversetur. 59
Ejusdem privati Doctores, tam veteres quam recentes bene multi, Pontificia infallibilitatis defensores. 60
Ejusdem Declaratio Regi Christianissimo exhibita anno 1663. circa Romanorum Pontificum infallibilitatem, explicatur. 61
Ejusdem in Amadeum Guinenium lata Censura anno 1665. perinde exponitur. 61
Eadem illa Propositionem Marci Antonii de Dominis, Pontificis infallibilitati derogantem, aequa Censura conficitur. 59
Nullam in edenda Cleri Gallicani Declaratione, de potestate Ecclesiastica, partem habuit anno 1682. 62
Aeneas Silvius. Vide Pius II.
Africanus de rebaptizandis Haereticis. Vide Stephanus I.
Agatho Rom. Pontifex ex Christi D. Oratione pro Petro facta, infallibilitatem colligit illius Successorum. 9
Albertus Magnus ex eadem Oratione pro Petro facta, eandem Successorum illius colligit infallibilitatem. 10
Alexander III. R. P. ab errore excusatur in Cap. cum esset, de Testamentis. 24
Alexander (Natalis) resellitur, occasione fidei professionis, Armenis proposita a Clemente VI. 15
Idem Card. Loharingum resellit, falso iactantem Concilium Florentinum in Gallis non esse receptum. 54
Quam ingenue fateatur, sententiam a se propugnatam de summa Conciliorum in summis Pontificis auctoritate, nihil ad fidem, & vires attinere. 61
Albanensis (Petrus.) coram Clemente VII. perorans resellitur. 41
Appellationes a R. R. Pontificum iudiciis interpositae, ipso jure nullae. 40
Appellationes ad futurum Concilium, non modo injuriae, verum etiam illaetiae. 51
Funes illae sunt, & imprudentes. 41
Appellationem Donatistarum a iudicio Melchiadis nunquam probavit Augustinus. 20
Apostolice de die Paschalis celebrandi. Vide Victor.
S. Augustinus ex Christi D. pollicitatione Petro facta, Matth. 16. R. R. Pontificum indeficientiam colligit. 12
Idem, Romani Pontificis tribunal in Causa fidei postremum agnovit, a quo non liceat appellare. 16. 41
S. Avitus Viennensis Romanos Pontifices etiam cum scandalis delinquentes solius Dei iudicio subesse docet. 43. 56.

Bernardus Romanorum Pontificum infallibilitatem probat, ex Christi D. Oratione pro Petro facta. 10
Idem a Pontifice non vult ad alterum tribunal appellari, sed ad illum ipsum melius informandum. 41
Bessarion Patriarcha Constantinop. disertissime protestatur, Romanam Ecclesiam ceterarum omnium principem, sed non Petri tenentem temper ac predicasse; nullamque abique illius auctoritate fidei questionem finiri posse. 43

Bonifacius IV. acri ac vehementi S. Columbani Epistola impetitur, per falsi obreptionem. 33
Bonifacius VIII. numquam sensit, multo minus definiuit, omnia Regna mundi Romanis Pontificibus subesse in temporalibus. 26
Bonifacius IX. quas Indulgentias concesserit Mediolanensibus ex Dominio Vicecomitum. 48
Bulla Unam Sanctam, a Clemente V. minime revocata, sed emollita duntaxat in Capite meruit. 48.

C

Coelestinus I. Romanus Pontifex formulam damnationis in Nestorium ferendam praescribit Concilio Ephesino. 37
Caelestius III. Consultatio Laudabilem, de Conversione Conjugatorum, R. R. Pontificum infallibilitatem nihil offit. 26
Cassini Monachi Historia quam lubrica fidei. 25
Capitula tria. Vide, Vigilius Rom. Pontifex.
Caelestius haereticus. Vide Zozimus R. Pontifex.
Chilidricus Galliarum Rex, a Solio dejectus, a generalibus Regni Statibus, tamen imperium ille Princeps esset, statibusque superior. 44
Clementis IV. Rescriptum Casae Dei Abbati datum de Privilegiis Monasteriorum explicatur. 31
Clemens V. Decretalem Unam Sanctam non rescidit, sed emollivit duntaxat in Capite meruit in gratiam Regni Galliarum. 26
Clemens VI. fidei professionem Armenis subscribendam proponit, si velint ex integro Ecclesiae Romanae conlociari. 15
Idem se se in fide fallibilem non existimavit, dum ex tribunali sententiam diceret. 48
Ejusdem Testamentum in mortis vicinia conditum explicatur. 30
Clementis XI. Consultatio Unigenitus explicatur, & cum Orthodoxa D. Augustini Doctrina conciliatur. 28
Clerus Gallicanus Meloduni generalia Comitibus celebrans anno 1579. R. R. Pontificum infallibilitatem agnovit. 58
Idem ad Innocentium X. semel ac iterum scribens in Causa Janfeniana, eandem infallibilitatem disertissime protestatur. 60
Idem anno 1682. Declarationem edens de potestate Ecclesiastica, novos de Pontificia infallibilitate sensus induit. 61
Quae subinde Declarationis hujusce fortuna fuerit, enarratur. 62
S. Columbanus a Schismaticis trium Capitulum defensoribus circumventus, acem ad Bonifacium IV. Epistolam scribit, nulla ratione ferendam. 33
Concilium Oecumenicum bisariam accipi potest: Primo, ut complectitur universos Episcopos in coetum vocatos, simulque Pontificem qui illi praesit: Secundo, ut solos complectitur Episcopos, Pontifice minime computato. 33
Conciliorum Oecumenicorum Divina auctoritas non facit, ut Romanis Pontificibus superiora sint auctoritate ac potestate. 45
Concilium Oecumenicum in solos complectitur Episcopos, praesio Pontifice, non est infallibile, nec Divina auctoritatis, irremovibile. 46
Nullum unquam Concilium Oecumenicum in Romana Pontificem auctoritatem exercuit, aut potuit exercere, excepto casu haereticis. 42. 43
Quibus Conciliorum Canonibus sese adstrictos dixerunt Romani Pontifices, & quo sentit. 38
Concilia Oecumenica, quondam & cur sunt aliquando necessaria in Ecclesia. 33
Concilium Arelatense Melchiadis iudicium recognovit, in materia facti privati, ac mere personalis, non juris & dogmatis. 26. 47
Concilio Baluensis auctoritas nulla, ex quo ab Eugenio IV. schisma fecit. 54
Concilium Capuanum in Causa Bonifacii Sardicenis Episcopi quid egerit. 48